

citum, quæ quotidie a religionis illius militibus Turcis infe-
rebantur; cum ex Mitylene, Eubœa, Peloponneso, Achaja,
Cariæ, & Lyciæ continenti frequentes populorum querelæ
exaudirentur; depopulari agros; pecora abigi; diripi urbes;
homines servitute affici; infesta maria; nusquam tutum navi-
gandi iter; dum illi, qui Damascum, Alexandriam, Mem-
phim, Chalcidem, Lesbum, Coum, ac denique Byzantium
contenderent, innumeris se periculis objectare, ac plerumque
navigia, mercimonia, vitam denique ipsam amittere cogerentur.
Nec deerant, qui expeditionem in Cyprum insulam pa-
rare Suleimanum ajebant, quod opulentissimum regnum, Sy-
riæ quam Sultano pater ademerat, suo imperio adjicere sta-
tuisset. Corcyram alii invasurum dicebant, insulæ opportuni-
tate Epiro finitimæ, qua frænum Italiæ injici posset, ille-
ctum. Augebantur suspiciones, quod æstate ineunte a Turca-
rum Rege Janusbejus Orator ad Senatum missus graviter con-
questus fuerat, in Venetorum insulis piratas excipi, transfu-
gis Turcis tutum perfugium ad nostros esse, multis incommo-
dis, ac detrimentis Mussulmanos affici, in eosque præsertim,
qui Cycladas insulas incolebant, invecus fuerat, quos præ-
donum socios Turcas invadere, rapinarum participes fieri di-
cebat; omnia infesta, nil tutum in Aegæo mari esse.

*Janusbejus
a Suleima-
no Venetias
missus.*

His permotus Senatus, ne imparata Respublica invenire-
tur, sexaginta triremes partim in urbe, partim Cretæ, atque
in ora Dalmatiæ instrui decrevit; classis Imperator Dominicus
Trivisanus procuratoria, & equestri dignitate, majoribus co-
mitiis renuntiatus est. Literæ Senatus ad Augustinum Amu-
lium classis Legatum datæ, quibus subditos in officio contine-
re; in illos, quos prædonum socios, atque adjutores fuisse,
injurias, damnaque Turcis, cum quibus Respublica servari pa-
cem vellet, intulisse constaret, graviter, ac severe animadver-
tere jubebatur. Janusbejus triginta argenti libris donatus Ve-
netiis discessit. Rumore vero belli aucto, neque adhuc cer-
tis nuntiis quonam apparatus verterentur, Trivisanus Impe-
rator idibus julii ab urbe discedere, atque ad classem decem
aliis triremibus auctam proficisci, ac quamprimum ad Maleæ
promontorium navigare, in Cretamque cum universa classe se
conferre jussus est: injunctum, ut quæ Imperator Turcarum
moli-

*Venetorum
decreta de
Classe au-
genda.
Dominicus
Trivisanus
Classis im-
perator.*

*Mandata
Senatus ad
Trivisanum.*